[redacted]

DE ΟΥΣΙΑΣ

APUD ARISTOTELEM NOTIONE EIUSQUE COGNOSCENDAE RATIONE.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE VII. M. MARTII A. MDCCCLXXXVII HORA XI. PUBLICE DEFENDET

BERNARDUS WEBER

NASSOVIUS.

ADVERSARII ERUNT

MATTHIAS KAPPES, DR. PHIL.
AUGUSTUS ELFES, CAND. PHIL.
CAROLUS ARZT, STUD. PHIL.

BONNAE

TYPIS PETRI HAUPTMANNI

MDCCCLXXXVII.

[redacted]

IOSEPHO NEUHAEUSER

S.

[redacted]

Cum in omni doctrina summum sit, earum rerum de quibus quaeritur, ipsam naturam sive essentiam cognoscere, primum certe generaliter quaerendum est, ipsa essentia quid sit et qua ratione cognoscatur. De qua quidem quaestione multi et antiquorum et recentiorum philosophorum tractaverunt, sed in sententias admodum diversas discesserunt. Inter philosophos antiquos, ut in tota philosophia, ita etiam in hac re facile primum locum obtinet Aristoteles. Sed in Aristotelis de hac re doctrina nonnulla tam obscura sunt, ut perdifficile esse videatur, veram eius sententiam attingere, praesertim cum interpretes ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem de hac eius doctrina, praecipue de principio et subiecto cogitandi inter se discrepent. Nihilo tamen minus conabimur hanc Aristotelis doctrinam non tam ex commentariis de ea scriptis quam ex ipsius verbis excutere.

Sed antequam ad rem ipsam aggrediamur, ex usu videtur esse breviter exponere, quid ii philosophi, qui Aristotelem aetate antecedunt, de nostra quaestione senserint, primum, ut videamus, quibus fundamentis Aristoteles ad informandam suam doctrinam usus sit, deinde ut cognoscamus, quanto illos philosophos acumine ingenii superaverit et quantum hac quoque doctrina ad philosophiae progressus contulerit.

Plurimi eorum philosophorum, qui ante Socratem fuerunt, cum omne fere studium in cognoscendum primum rerum principium conferrent, quod in sola re subiecta ponebant, ad quam alii causam efficientem addiderunt, ad eam doctrinam, quae spectat ad rationem essentiae cognoscendae, sicut ad totam cognoscendi rationem nihil contulerunt. [1])

---

1) Met. 1, 3: 983 b 6: τῶν δὲ πρώτων φιλοσοφησάντων οἱ πλεῖστοι τὰς ἐν ὕλης εἴδει μόνας ᾠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων, ibid. 5; 987 a 4: παρὰ μὲν τῶν πρώτων σωματικήν τε ἀρχὴν (scil. παρειλήφαμεν), . . . παρὰ δέ τινων ταύτην τε τὴν αἰτίαν τιθέντων καὶ πρὸς ταύτῃ τὴν ὅθεν ἡ κίνησις; ibid. 6; 987 b 32: οἱ γὰρ πρότεροι διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον.

Socrates autem, qui id potissimum agebat, ut se ipsum i. e. animum suum sive subiectum cogitandi et agendi cognosceret, primus intellexit, rerum essentiam notione concipi et definitione determinari hancque inductionis via inveniri. Qua quidem cognitione simul cognitum erat rerum essentiam non sensuum sed rationis vi intellegi.[2])

Plato Heracliti sententia ductus, qui omnia mutari atque fluxa esse (πάντα ῥεῖ) nulloque modo sibi constare existimaverat, res sensibiles vere non cognosci ratus, essentiam ideis tribuit, quas a rebus ipsis separatas in se et per se existere docuit. Cum autem putaret, e rebus sensilibus, quippe quae similes quidem ideis essent, ipsam vero earum veritatem non attingerent, ipsarum idearum cognitionem hauriri non posse, has non via inductionis, sicut Socrates notiones inveniri voluerat, sed mentis opera concipi statuit, quippe quae ideas, antequam cum corpore coniuncta esset, conspexisset ideoque e rerum similitudine recognosceret. Qua de causa discere et reminisci apud Platonem idem est.[3])

Haec fere philosophi illi, qui ante Aristotelem fuerunt, de nostra quaestione senserunt. Sed antequam exponam, quid Aristoteles de οὐσίας cognitione cogitaverit, ut facilius eius sententiam attingamus, paucis dicendum esse videtur, quid de ipsa οὐσίας notione statuerit.

2) Met. 987 b 1 sqq. ibid. XIII, 4; 1078 b 17; ibid. b 27: δύο γάρ ἐστιν, ἅ τις ἀποδοίη Σωκράτει δικαίως, τούς τ' ἐπακτικοὺς λόγους καὶ τὸ ὁρίζεσθαι καθόλου.

3) Plat. Phaedo p. 72, E sqq. Meno 81 D sqq. Phaedrus p. 249 B. sqq.

Pars prior.

DE ΟΥΣΙΑΣ NOTIONE. [4]

1. De voce οὐσία et ea ratione, quae inter nomen οὐσία et verbum εἶναι intercedit.

§ 1.

Vox οὐσία, quae apud Aristotelem magno opere ambigua est, plerumque simpliciter „substantia“ vertitur, quae quidem versio mea sententia minus probari potest; nam οὐσίας notione non modo substantia continetur (cum qua si vocis originem spectamus minime cohaeret) sed sententia eius latius patet. Hanc sententiam facillime inveniemus, si scrutati erimus, quae ratio inter nomen οὐσία et verbum εἶναι intercedat. [5])

Nomen οὐσία primum, sicut e vocis origine apparet, actum τοῦ εἶναι significat, deinde id, cui hic actus convenit. Sed cum actus τοῦ εἶναι non semper sit idem, primum inquirendum est, quae sint diversa genera τοῦ εἶναι, deinde cui haec maxime tribuantur tamquam subiecto.

Verbum εἶναι exprimit et solam existentiam (Dasein) sine ulla qualitatis forma (e. g. ἔστι Θεός), et, praedicato addito, qualitatem sive aliquam ceterarum categoriarum. (Sosein, e. g. ὁ Θεός ἐστιν ἀγαθός.) [6])

---

4) De hac re conf. Trendelenburg, Aristotelis de anima libri tres p. 323. Geschichte der Kategorienlehre p. 33 sqq. Waitz, Aristotelis Organon p. 281. Schwegler, die Metaphysik des Aristoteles III, p. 214; IV, p. 41.

5) Vox οὐσία a radice ες descendit, quae invenitur in nonnullis formis verbi εἶναι (e. g. ἐστίν ἔσται etc.), in forma antiquiore ἐσμι. Ssct. asmi (cfr. Curtius Griechische Etymologie p. 350), quam rem probat forma altera antiquior ἐσία, quae legitur apud Platonem (cf. Cratyl. 401 C: οἷον καὶ ἐν τούτῳ, ὃ ἡμεῖς οὐσίαν καλοῦμεν, εἰσὶν οἳ ἐσίαν καλοῦσιν, οἳ δ' αὖ ὠσίαν . . . . ἐοίκαμεν γὰρ καὶ ἡμεῖς τὸ παλαιὸν ἐσίαν καλεῖν τὴν οὐσίαν). Qua de causa ut omnia nomina substantiva, quae e radice alicuius verbi derivata in ια desinunt, sive formam sive statum eius actionis, quae verbo continetur, (e. g. μαίνεσθαι - μανία) significant, ita etiam nomen οὐσία actum τοῦ εἶναι exprimit, quod latine optime vocabulo „essentia“ germanice, si hac voce uti fas est, „Seiung“ dicitur.

6) Hunc sensum verbum εἶναι per se sine ullo praedicato non exprimit. In lingua autem sanscritica hoc verbum praedicato non addito eam formam τοῦ εἶναι significat, quae ad qualitatem alicuius rei

Hunc verbi εἶναι sensum duplicem Aristoteles compluribus locis significat, cum eam formam τοῦ εἶναι, quae ad solam existentiam spectat, εἶναι ἁπλῶς, eam, qua qualitas aliqua continetur, εἶναί τι appellet. 7) Plerumque autem inter utramque verbi significationem nulla est vocis differentia.

Huic duplici usui verbi adaptatum est nomen οὐσία, cum et eam formam τοῦ εἶναι, quae in „εἶναι ἁπλῶς“ et eam, quae in „εἶναί τι“ versatur, significet.

Nomen οὐσία autem non modo diversa genera τοῦ εἶναι sed etiam eas res subiectas significat, quibus illa conveniunt. Id, quod solam existentiam sine ulla qualitatis forma in se habet, Aristoteles ὕλην (scil. πρώτην, materiam primam) appellat, quae omni forma τοῦ εἶναί τι privata in statu στερήσεως est. Materiae opponitur ea forma τοῦ εἶναί τι, quae veram naturam alicuius rei constituit, quam Aristoteles εἶδος, μορφήν, τὸ τί ἦν εἶναι appellat. 8)

Sed neque materia sine forma neque forma sine materia in se et per se existit. Qua de causa maxime id οὐσία vocatur, quod ex materia et forma compositum (σύνολον) et existentiam et essentiam in unum coniungit. Haec est res individua, quae substantia vero et proprio sensu vocatur. Substantia, cum sit ens ex materia et forma compositum, hac fere ratione definiri potest: Substantia est id, quod in se est et per se existit neque ad existendum indiget alio tamquam subiecto,

---

pertinet, cum „asmi“ initio „animam ducere“ sive „vivere“ exprimat, cuius rei testis est nomen a radice „as“ derivatum „asus“, quod est „anima“; „asura“, quod est „animatus“ sive „vivus“. Cf. Curtius l.l. 350.

7) Anal. post. II, 1; 89 b 33: τὸ δ' εἰ ἔστιν ἢ μὴ ἁπλῶς λέγω ἀλλ' οὐκ εἰ λευκὸς ἢ μή. Anal. post. II, 2: 90 a 3: εἰ γὰρ ἔστι τι ἢ μὴ ἔστι τι, ἐν τοῖς τοιούτοις ζητοῦμεν· ἁπλῶς δ' εἰ ἔστιν ἢ μὴ σελήνη ἢ νύξ.

8) Met. 1042 a 26: ἔστι δ' ἡ οὐσία τὸ ὑποκείμενον, ἄλλως μὲν ἡ ὕλη. 1044 a 15: ὑλικὴ οὐσία. 1049 a 36: ὕλη καὶ οὐσία ὑλική. 1042 a 27: ἄλλως δ' ὁ λόγος καὶ ἡ μορφή, ὃ τόδε τι ὂν τῷ λόγῳ χωριστόν ἐστιν (scil. ἔστι δ' οὐσία) Met. 1017 b 23: συμβαίνει δὴ κατὰ δύο τρόπους τὴν οὐσίαν λέγεσθαι, τό θ' ὑποκείμενον ἔσχατον, ὃ μηκέτι κατ' ἄλλου λέγεται (substantia) καὶ ὃ ἂν τόδε τι ὂν καὶ χωριστὸν ᾖ· τοιοῦτον δὲ ἑκάστου ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος. Met. 1070 a 9: οὐσίαι δὲ τρεῖς, ἡ μὲν ὕλη τόδε τι οὖσα τῷ φαίνεσθαι . . . . . ἡ δὲ φύσις τόδε τι, εἰς ἣν καὶ ἕξις τις, ἔτι τρίτη ἡ ἐκ τούτων ἡ καθ' ἕκαστα, οἷον Σωκράτης ἢ Καλλίας.

sed cui omnia alia inhaerent (qualitates, qantitates, relationes ceteraeque categoriae τοῦ εἶναι τι) aut de eo praedicantur. (species et genera) [9])

Sed forma quoque, quae una cum materia substantiam constituit, qua sublata substantia ipsa tollitur, optimo iure οὐσία vocatur et hoc — interdum quidem adiecto κατὰ τὸν λόγον — saepissime apud Aristotelem legitur.

2. De οὐσίας κατὰ τὸν λόγον sive essentiae notione.

§ 2.

Plato, ut supra diximus, ideas in se et per se existere docuerat. Sed cum in hac doctrina multa essent, quae inter se pugnarent, Aristoteles eius sententiam multis rationibus refutavit. Ad Socratis doctrinam recurrens, qui formas a rebus singulis non separaverat, [10]) sententiam ab illa Platonica maxime diversam constituit.

Forma cum materia iuncta substantiam sive rem individuam conficit, atque inde haec forma in philosophia scholastica forma substantialis (εἶδος οὐσιῶδες) vocatur. Hac ratione forma ab iis modis τοῦ εἶναι segregatur, qui, etsi rei aliquam qualitatem tribuunt, substantiam tamen, sive ei inhaerent sive non inhaerent, quatenus est substantia, non mutant. [11]) Forma autem ad rem καθ' αὑτὸ pertinet, ita ut sublata ea res ipsa tollatur; constituit enim ipsam rei naturam, qua res id ipsum est, quod est.

Materia (ὕλη), quae per se sine ulla forma sive ulla qualitate est, quare Aristoteles eam μὴ ὄν (h. e. μή ὄν τι) appellat,

---

9) Cat. 5; 2 a 11: οὐσία δέ ἐστιν ἡ κυριώτατά τε καὶ πρώτως καὶ μάλιστα λεγομένη, ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται μήτ' ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστιν, οἷον ὁ τὶς ἄνθρωπος ἢ ὁ τὶς ἵππος ibid. v. 34: τὰ δ' ἄλλα πάντα ἤτοι καθ' ὑποκειμένων λέγεται τῶν πρώτων οὐσιῶν ἢ ἐν ὑποκειμέναις αὐταῖς ἐστίν.

Utrum sint formae purae, quae per se sine ulla materia existunt, una aut plures, necne, hoc loco non est inquirendum, sed est metaphysicae et theologiae.

10) Met. XIII, 4; 1078 b 9: ἀλλ' ὁ μὲν Σωκράτης τὰ καθόλου οὐ χωριστὰ ἐποίει οὐδὲ τοὺς ὁρισμούς.

11) Haec τοῦ εἶναι genera ab Aristotele συμβεβηκότα (in philosophia scholastica formae accidentales) vocantur. Met. V, 30; 1025 a 14: συμβεβηκὸς λέγεται, ὃ ὑπάρχει μέν τινι καὶ ἀληθὲς εἰπεῖν, οὐ μέντοι οὔτ' ἐξ ἀνάγκης οὔτ' ἐπὶ τὸ πολύ, οἷον, εἴ τις ὀρύττων φυτῷ βόθρον εὗρε θησαυρόν.

δυνάμει modo est substantia et quasi conditio substantiae; sed postquam cum forma in unum coniunctum est, actu (ἐνεργείᾳ vel ἐντελεχείᾳ) fit substantia.

Cum materia nihil actu sit sed omnia fieri possit, forma est id principium, quo materia sive rei potentia ad huius rei actum et perfectionem perducitur, quare forma rei actus et perfectio vocatur. (ἐνέργεια, ἐντελέχεια.)

Forma cum materiam ad actum et perfectionem perducat et hac ratione substantiam sive rem individuam perficiat, ita constituta esse debet, ut substantiam perficere possit atque ad efficiendam substantiam, nulla re indigeat nisi subiecto sive substrato, (materia) in quo subsistat. Ex hoc sequitur, primum formam esse in se ens unum et individuum, quod in se definitum sit neque complures partes in se contineat; deinde esse ens totum et perfectum, [12]) cui nihil addi aut demi possit. Qua de causa Aristoteles formam τόδε τι, ὅπερ τόδε τι, sive ὅπερ τι, τόδε, τί saepius appellat, quibus vocibus indicatur, formam esse „hoc aliquid,“ esse ens unum et totum sive id principium, quo materia informis, quae per se non est τόδε τι, substantia vel res individua fit. [13])

Forma in diversis rebus diverso modo apparet; in rebus anorganicis, quae dicuntur, earum natura et essentia, in rebus organicis, principium vitae sive anima est (vegetativa aut sensitiva), quia in hac maxime earum natura continetur. [14])

Forma cum sine materia non existat sed semper cum ea coniuncta sit, non nisi in rebus singularibus sive in substantiis proprie ita dictis inest. Qua de causa ceteris categoriis forma non proprie assignatur, quia ipsae non alicuius rei naturam constituunt, sed substantiis, ut formae accidentales, inhaerent. Quodam modo his quoque forma tribuitur,

12) Met. VII, 4; 1030 a 3: ὅπερ γάρ τόδε τι ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι· ὅταν δ' ἄλλο κατ' ἄλλου λέγηται, οὐκ ἔστιν ὅπερ τόδε τι, εἴπερ τὸ τόδε τι ταῖς οὐσίαις ὑπάρχει μόνον.

13) Met. 1042 a 27: (ὕλην δὲ λέγω, ἣ μὴ τόδε τι οὖσα ἐνεργείᾳ δυνάμει ἐστὶ τόδε τι) ἄλλως δ' ὁ λόγος καὶ ἡ μορφή, ὃ τόδε τι ὂν τῷ λόγῳ χωριστόν ἐστιν. 1037 b 27: καὶ γὰρ ἡ οὐσία ἕν τι καὶ τόδε τι σημαίνει.

14) Met. 1037 a 5: δῆλον δὲ καὶ ὅτι ἡ μὲν ψυχὴ οὐσία ἡ πρώτη τὸ δὲ σῶμα ὕλη, ὁ δ' ἄνθρωπος ἢ τὸ ζῷον τὸ ἐξ ἀμφοῖν.

quae apud eas nihil aliud significat nisi categoriae essentiam (εἶναί τι Sosein), sicut notione cognoscitur.[15])

Quamquam res singulae, quae ex materia et forma constant, oriuntur et corrumpuntur, tamen formae, quae vere dicuntur, per se acceptae neque oriuntur neque corrumpuntur sed aeternae sunt. Hoc significavit Aristoteles formula illa celeberrima τὸ τί ἦν εἶναι, quae idem valet, quod εἶδος, μορφή, λόγος, οὐσία et qua exprimitur formam, per quam substantiae τοῦ εἶναί τι participes sunt, esse veram et aeternam alicuius rei naturam, id quod semper τὸ εἶναί τι alicuius rei constituit[16])

Ab hac formula distat altera, quae interdum idem valet, atque nomen οὐσία, dico τὸ τί ἐστιν. Quomodo haec a formula τὸ τί ἦν εἶναι differat, iam ex ratione grammatica intellegitur; nam in τί ἐστιν pronomen τί et subiecti et praedicati locum tenere potest, ita ut hac interrogationis formula tum de subiecto alicuius praedicati, tum de praedicato vel potius de essentia alicuius subiecti quaeratur. Sed ad hanc posteriorem interrogationem non necessario ita respondetur, ut tota essentia sed plerumque ita, ut non nisi generis notio indicetur, quae non per se sola sed tantum cum differentia coniuncta totam essentiam continet. Praeterea ita etiam responderi potest, ut ceterarum categoriarum aliqua indicetur, quae sunt formae accidentales. Ex his apparet formulam τί ἐστιν et subiectum sive substantiam et genus et definitionem sive essentiam et formas accidentales significare posse.[17])

---

15) Met. VII, 1; 1028 a 17: τὰ δ' ἄλλα λέγεται ὄντα τῷ τοῦ οὕτως ὄντος τὰ μὲν ποσότητας τὰ δὲ πάθη, τὰ δὲ ἄλλο τι τοιοῦτον: 1029 a 29: καὶ τὸ τί ἦν εἶναι ὁμοίως ὑπάρξει πρώτως μὲν καὶ ἁπλῶς τῇ οὐσίᾳ, εἶτα καὶ τοῖς ἄλλοις ὥσπερ καὶ τὸ τί ἐστιν οὐχ ἁπλῶς τί ἦν εἶναι ἀλλὰ ποιῷ ἢ ποσῷ τί ἦν εἶναι.

16) De hac quaestione conf. Trendelenburg, Rhein. Mus. 1828. 4. p. 457—483. Aristotel. de anima p. 192 sqq.; 471 sqq. — Geschichte der Kategorienlehre p. 34 sqq. Schwegler, die Metaphysik des Aristot. IV p. 369 sqq., cuius sententiae de Imperf. ἦν tertio loco allatae ego assentio, quamquam eius exemplum e lingua vernacula petitum minime probari potest, cum nomen substantivum „Wesen" non ad perf. „gewesen sein" sed ad praes. verbi „wesen" (= sein, leben) quod in lingua theodisca saepius invenitur, reducendum sit.

17) Trendelenburg, Gesch. d. Kategorienlehre p. 34—53; Met. VII, 4; 1030 a 18: καὶ γὰρ τὸ τί ἐστιν ἕνα μὲν τρόπον σημαίνει τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τόδε τι, ἄλλον δὲ ἕκαστον τῶν κατηγορουμένων, ποσὸν, ποιὸν, καὶ ὅσα ἄλλα τοι-

Aliae voces, quae ab Aristotele pro vocabulo οὐσία sive pro formula τὸ τί ἦν εἶναι adhibentur, sunt μορφὴ et εἶδος, etsi εἶδος non semper idem valet sed etiam speciem significat. De ea λόγου et ὁρισμοῦ relatione, quae pertinet ad essentiam, in capite sequenti disseremus. Sed cum notione et definitione essentia rerum cognoscatur, venimus nunc ad alteram partem huius disputationis, qua agitur de ea cognoscendi ratione, qua rerum essentia intellegatur.

Pars altera.

DE ΟΥΣΙΑΣ COGNITIONE.

I. De ea forma cognoscendi, qua essentia concipitur.

§ 3.

Forma cognitionis, qua essentia concipitur, est notio (λόγος), neque vero notio quaelibet sed ea quam dicunt speciei. Haec enim notio sola ea elementa continet, quae essentiam rei singularis constituunt, quod minime fit notione generis; desunt enim differentiae specificae, quibus diversae species eidem generi subiectae inter se differunt. [1])

Etiamsi notio sola ea forma cognoscendi est, qua essentia a nobis cognoscitur, tamen notio non idem valet, quod essentia. Nam in notione praeter formam etiam materia sive substratum etiamsi generaliter concipitur. Forma autem materiae opposita est neque materiam in se continet. Species notionem totius substantiae (ex materia et forma compositae) complectitur. Notio hominis e. g. praeter formam, quae est anima

---

αὐτα· ὥςπερ γὰρ καὶ τὸ ἔστιν ὑπάρχει πᾶσιν ἀλλ' οὐχ ὁμοίως, ἀλλὰ τῷ μὲν πρώτως, τοῖς δ' ἑπομένως, οὕτως καὶ τὸ τί ἐστιν ἁπλῶς μὲν τῇ οὐσίᾳ, πῶς δὲ τοῖς ἄλλοις· καὶ γὰρ τὸ ποσὸν ἐροίμεθ' ἂν τί ἐστιν, ὥςτε καὶ τὸ ποιὸν τῶν τί ἐστιν μέν, ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς. Top. 142 b 27. τὸ δὲ γένος βούλεται τὸ τί ἐστιν σημαίνειν. Top. 102 a 32; 122 a 11; Cat. 2 b 9; 32.

1) Met. 1030 a 11: οὐκ ἔσται ἄρα οὐθενὶ τῶν μὴ γένους εἰδῶν ὑπάρχον τὸ τί ἦν εἶναι ἀλλὰ τούτοις μόνον.

etiam notionem substrati, quod est corpus, continet, quare notio hominis et forma hominis nunquam idem valent. [2]) Apud eas solas substantias, quae per se sine ulla materia existunt (formae purae) notio substantiae cum forma congruit, quia in his idem est substantia atque forma. [3])

Alia etiam de causa forma cum specie non commutari potest. Nam unicuique substantiae sua certa forma convenit, quae a rebus ipsis non separata existit sed singulis rebus inest earumque naturam et essentiam constituit; species autem, quam Aristoteles δευτέραν οὐσίαν appellat (cat. 5; 2 a 14) de compluribus rebus singulis praedicatur. Ergo species non τόδε τι, quod praecipue formae assignatur, sed magis ποιόν τι significat. [4])

Sed quamquam species non idem valet, quod forma, tamen in ea sola forma a nobis cognoscitur. Nam etiamsi species complures res una notione complectitur, tamen differentiae, quae inter res singulas extant, non ad essentiam sed ad accidentia pertinent. [5]) Materia enim est principium individuationis, quod dicitur, species autem est id principium, quo ea, quae essentia sunt ταὐτὸν, in unum rediguntur, qua de causa notione quidem species unum est. [6])

---

2) Met. 1037 a 5: δῆλον δὲ καὶ ὅτι ἡ μὲν ψυχὴ οὐσία ἡ πρώτη τὸ δὲ σῶμα ὕλη, ὁ δ' ἄνθρωπος ἢ τὸ ζῷον τὸ ἐξ ἀμφοῖν ὡς καθόλου. de an. III, 4; 429 b 10: ἐπεὶ δὲ ἄλλο ἐστὶ τὸ μέγεθος καὶ τὸ μεγέθει εἶναι καὶ ὕδωρ καὶ ὕδατι εἶναι . . . Met, 1035 b 27: ὁ δ' ἄνθρωπος καὶ ὁ ἵππος καὶ τὰ οὕτως ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα, καθόλου δὲ, (h. e. species hominis, species equi) οὐκ ἔστιν οὐσία ἀλλὰ σύνολόν τι ἐκ τουδὶ τοῦ λόγου καὶ τησδὶ τῆς ὕλης ὡς καθόλου.

3) Met. 1037 a 33: καὶ ὅτι τὸ τί ἦν εἶναι καὶ ἕκαστον ἐπὶ τινῶν μὲν τ' αὐτὸν ὥσπερ ἐπὶ τῶν πρώτων οὐσιῶν, οἷον καμπυλότης καὶ καμπυλότητι εἶναι, εἰ πρώτη ἐστιν. λέγω δέ τι πρώτην, ἣ μὴ λέγεται τῷ ἄλλο ἐν ἄλλῳ εἶναι καὶ ὑποκειμένῳ ὡς ὕλῃ. de an. 429 b 11.

4) Met. 1038 b 8: ἔοικε γὰρ ἀδύνατον εἶναι οὐσίαν ὁτιοῦν τῶν καθόλου λεγομένων· πρώτη μὲν γὰρ οὐσία (forma) ἴδιος ἑκάστῳ, ἣ οὐχ ὑπάρχει ἄλλῳ, τὸ δὲ καθόλου κοινόν· τοῦτο γὰρ λέγεται καθόλου, ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκεν. Cat. 5, 3 b 10. πᾶσα δὲ οὐσία δοκεῖ τόδε τι σημαίνει ἐπὶ μὲν οὖν τῶν πρώτων οὐσιῶν (πρώτη οὐσία = substantia) ἀναμφισβήτητον καὶ ἀληθές ἐστιν, ὅτι τόδε τι σημαίνει . . . τῶν δὲ δευτέρων οὐσιῶν φαίνεται μὲν ὁμοίως τῷ σχήματι τῆς προσηγορίας τόδε τι σημαίνειν, ὅταν εἴπῃ ἄνθρωπον ἢ ζῷον, οὐ μὴν ἀληθές γε ἀλλὰ μᾶλλον ποιόν τι σημαίνει.

5) Anal. post. II, 13; 96 a 12: πολλαὶ γὰρ διαφοραὶ ὑπάρχουσι τοῖς αὐτοῖς τῷ εἴδει ἀλλ' οὐ κατ' οὐσίαν οὐδὲ καθ' αὑτά.

6) Met. 1034 a 7: καὶ ἕτερον μὲν διὰ τὴν ὕλην. . . . . ταὐτὸ δὲ τῷ εἴδει·

Sed cum notione essentia tamquam involuta contineatur, alia quaedam cognoscendi forma postulatur, qua notio explicetur, atque haec est notionis definitio (ὁρισμός), qua essentiam cognosci Aristoteles saepissime affirmat. [7])

Sed nunc iam ea oboritur quaestio, quibus elementis sive partibus definitio constituatur, ut vera essentiae explanatio eveniat. Responsio cernitur in celebri illa regula ab Aristotele proposita: „Definitio fiat per genus proximum et differentiam specificam; [8]) his enim duabus partibus notio re vera absolvitur.

Cum definitione forma rerum exprimatur, forma autem proprio sensu accepta non nisi substantiis conveniat, definitio ad solas substantias pertinere videtur; sed etiam ceterae categoriae definiuntur, cum iis, ut supra diximus, quodam modo essentia assignetur. [9])

Quamquam forma, quae definitione comprehenditur, semper rei cuiusdam singularis forma est, tamen res singularis non definitione sed tantum sensuum adspectu cognoscitur; nam definitio cum fiat generaliter, aliquid necessarii in se habet, quod per omnia tempora valet, res sensibiles autem, quibus materia admixta est, cuius natura ea est, ut et esse et non esse possit, non sunt constantes, sed semper mutantur: generantur et corrumpuntur. [10])

Quamquam rerum essentia non nisi notionis definitione a nobis concipitur, tamen non quavis definitione concipitur. Distinguuntur enim ab Aristotele diversa definitionis genera.

ἄτομον γὰρ τὸ εἶδος. 1027 a 13: ὥστε ἡ ὕλη ἔσται αἰτία ἡ ἐνδεχομένη παρὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἄλλως τοῦ συμβεβηκότος.

7) Anal. post. 90 b 30: ὁρισμὸς μὲν γὰρ τοῦ τί ἐστι καὶ τῆς οὐσίας. 91 a 1: ὁ μὲν οὖν ὁρισμὸς τί ἐστι δηλοῖ. 93 b 29: ὁρισμὸς λέγεται εἶναι λόγος τοῦ τί ἐστιν· Top. 101 b 39: ἔστι δ' ὅρος μὲν λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων.

8) Top. 141 b 25: δεῖ μὲν διὰ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν ὁρίζεσθαι τὸν καλῶς ὁριζόμενον. Met. 1037 b 29: οὐθὲν γὰρ ἕτερόν ἐστιν ἐν τῷ ὁρισμῷ πλὴν τό τε πρῶτον λεγόμενον γένος καὶ αἱ διαφοραί.

9) Cfr. p. 10.

10) Met. VII, 10; p. 1036 a 2: τοῦ δὲ συνόλου ἤδη οἷον κύκλου τουδὶ .... οὐκ ἔστιν ὁρισμός. 1059 b 14: οὐδὲ τῶν αἰσθητῶν οὐσιῶν (scil. ἐστιν ἐπιστήμη) φθαρταὶ γάρ· 1039 b 27: διὰ τοῦτο δὲ καὶ τῶν οὐσιῶν τῶν αἰσθητῶν τῶν καθ' ἕκαστα οὔθ' ὁρισμὸς οὔτ' ἀπόδειξίς ἐστιν, ὅτι ἔχουσιν ὕλην, ἧς ἡ φύσις τοιαύτη ὥστ' ἐνδέχεσθαι καὶ εἶναι καὶ μή.

Atque unum quidem definitionis genus eam ponit, qua non ipsa rei essentia sed significatio nominis explicetur, quam definitionem nominalem appellat.[11] Per se patet, hac definitione rei essentiam non concipi nisi forte per accidens.

Altera definitio, quae una proprie definitio appellari potest, ea est, quae ipsam rei essentiam apperit. Haec definitio rursus bipartita est, prout aut essentiae definiendae simul causam continet aut non continet.[12] Quid haec definitionum distinctio sibi velit, Aristoteles exemplo lunae deficientis ostendit. Etenim si quaeritur, quid sit lunae defectus, et respondetur, lunae defectum esse luminis privationem, haec definitio nihil est nisi quasi conclusio syllogismi (συμπέρασμα), quae, quia deest causa huius privationis, idem fere valet atque definitio nominalis. Quare ut definitio veram rei cognitionem contineat, illius privationis causa quaerenda et adsumenda est. Cum autem terminus medius syllogismi causam conclusionis contineat, causa lunae deficientis hoc fere syllogismo (modi Barbara) inveniri potest:

Prop. m.: Corpus inter lumen et rem collustratam intercedens efficit luminis privationem.

Prop. mi.: Luna deficiente corpus (scil. terra) inter solem et lunam intercedit.

Concl.: Ergo lunae defectus est luminis privatio.

Quare hac fere ratione lunae defectus definiendus est: Lunae defectus est luminis privatio, quae terra inter solem et lunam intercedente efficitur.[13]

Ex his sequitur, ut in iis rebus quae causam habent, idem valeat cognitio causae atque essentiae[14], ut igitur causa in de-

---

11) Anal. post. II, 10; 93 b 30: λόγος ὀνοματώδης· ibid. 92 b 26: ὁ ὁριζόμενος δείκνυσιν ἢ τί ἐστιν ἢ τί σημαίνει τοὔνομα. Top. 102 a 2: ὅσοι δ' ὁπωσοῦν ὀνόματι τὴν ἀπόδοσιν ποιοῦνται, δῆλον ὡς οὐκ ἀποδιδόασιν οὗτοι τὸν τοῦ πράγματος ὁρισμόν.

12) Anal. post. 93 b 21: ἔστι δέ τῶν μὲν ἕτερόν τι αἴτιον, τῶν δ' οὐκ ἔστιν, ὥστε δῆλον, ὅτι καὶ τῶν τί εστι τὰ μὲν ἄμεσα καὶ ἀρχαί εἰσιν; 94 a 11: ἔστιν ἄρα ὁρισμὸς εἷς μὲν λόγος τοῦ τί ἐστιν ἀναπόδεικτος, εἷς δὲ συλλογισμὸς τοῦ τί ἐστιν πτώσει διαφέρων τῆς ἀποδείξεως, τρίτος δὲ τῆς τοῦ τί ἐστιν ἀποδείξεως συμπέρασμα.

13) Anal. post. 90 a 15 sqq.

14) Anal. post. 90 a 31: ὥςπερ οὖν λέγομεν, τὸ τί ἐστιν εἰδέναι ταὐτόν

finitionem recipienda sit. Neque tamen ad veram definitionem constituendam sufficit aliquam rem ex causa qualibet cognoscere sed causa prima qua nulla alia est anterior, intellegi debet. Haec prima causa, cum ex alia non derivetur, non ἐπιστήμῃ ἀποδεικτῷ cognoscitur sed altera ratione concipitur. Cognitio principiorum, ex quibus omnia principia demonstrandi et argumentandi tamquam ex fonte communi profluunt, intellectui convenit, qui omnium animi facultatum, quae ad cognitionem spectant, nobilissima et praestantissima est, earumque quasi absolutionem continet.

2. De illo principio, quo ἡ οὐσία concipitur, sive de intellectu.

a. De intellectus notione.

§ 4.

Animae facultates inferiores, quae dicuntur, una cum corpore oriuntur atque perficiuntur et postea cum eo intereunt, quia anima est forma corporis, forma vero sine materia non existit. Anima ipsa est principium vitae, quo corpus ad actum perfectionemque ducitur. [15])

Sed illa animae pars, quae in solo homine invenitur, ab anima inferiore longe distat; neque enim cum corpore eodem actu vel eadem causa efficiente oritur aut augetur neque cum ipso corrumpitur. Nam intellectus a corpore separari potest et corpore sublato per se existit. [16]) Ex his sequitur intellectum esse substantiam per se ipsam consistentem. [17]) Itaque intellectus, quippe qui neque cum corpore oriatur neque cum eo corrumpatur, non

---

ἐστιν καὶ διὰ τί ἐστιν. ibid. v. 14: ἐν ἅπασι γὰρ τούτοις φανερόν ἐστιν, ὅτι τὸ αὐτό ἐστι τὸ τί ἐστι καὶ διὰ τί ἐστιν.

15) De an. II, 1; 412 a 19: ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. ἡ δ' οὐσία ἐντελέχεια. τοιούτου ἄρα σώματος ἐντελέχεια. ibid. v. 27: διὸ ἡ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. 412 b 4: εἰ δή τι κοινὸν ἐπὶ πάσης ψυχῆς δεῖ λέγειν, εἴη ἂν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ.

16) De an. II, 2; 413 b 25: περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως οὐδέν πω φανερόν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.

17) De an. 408 b 19: ὁ δὲ νοῦς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι οὐσία τις οὖσα καὶ οὐ φθείρεσθαι.

cum semine a patre gignitur sed extrinsecus animae partibus in prima generatione accedit.[18]) Intellectus est quiddam divinum, cui nihil materiae admixtum est. Namque νοῦς rerum formas in se non reciperet si ei aliquid materiae appositum esset; materia enim prohiberet, quominus formae, quatenus a materia separatae intelleguntur, ab intellectu reciperentur sive in eum introirent.[19]) Deinde intellectui, si esset materialis, eae qualitates tribuendae essent, quae rebus materiae immixtis: eum tum calidum, tum frigidum fieri etc. necesse esset; atque instrumentum, quale in sensibus cernitur, intellectui esset, quo ad res cognoscendas uteretur.[20])

Ex his, quae adhuc de intellectu disputavimus, sequitur, ut intellectus sit substantia per se ipsa consistens; ut non ex materia et forma coniuncta sit sed forma pura, cui nihil materiae additum sit.

Sed quamvis intellectus et sensus magno opere inter se differant, tamen eorum, quod ad rationem cognoscendi attinet, quaedam cernitur similitudo. Quam ob causam philosophi vetustiores intellectum et sensus unam eandemque facultatem esse opinabantur.[21]) Nam et sentiendo et cogitando animus aliquid cognoscit et tamquam patitur.[22]) Sed quamquam inter intellectum et sensus, quod ad rationem cognitionis attinet, similitudo quaedam versatur, tamen inter eos, quod ad cognitionem ipsam attinet, maxima est differentia.

---

18) De generat. anim. 36 b 25 sqq. λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ μόνον θεῖον εἶναι· οὐθὲν γὰρ αὐτοῦ ἐνέργεια κοινωνεῖ σωματικῇ ἐνεργείᾳ de an. I, 4; 408 b 29: ὁ δὲ νοῦς ἴσως θειότερόν τι καὶ ἀπαθές ἐστιν.

19) De an. III, 4; 429 a 18.

20) De an. III, 4; 429 a 24. ποιός τις γὰρ ἂν γίγνοιτο ἢ ψυχρὸς ἢ θερμός, ἢ κἂν ὀργανόν τι εἴη, ὥςπερ τῷ αἰσθητικῷ· νῦν δ' οὐδέν ἐστιν.

21) De an. 427 a 21: καὶ οἵ γε ἀρχαῖοι τὸ φρονεῖν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ταὐτὸν εἶναί φασιν.

22) De an. III, 429 a 13: εἰ δή ἐστιν τὸ νοεῖν ὥςπερ τὸ αἰσθάνεσθαι ἢ πάσχειν τι ἂν εἴη ὑπὸ τοῦ νοητοῦ ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον. Pati hoc loco non est idem, quod corrumpi, sed aliqua re ita affici, ut eius imago aut forma recipiatur. — ibid. 427 a 19: δοκεῖ δὲ καὶ τὸ νοεῖν καὶ τὸ φρονεῖν ὥςπερ τὸ αἰσθάνεσθαί τι εἶναι (ἐν ἀμφοτέροις γὰρ τούτοις κρίνει τι ἡ ψυχὴ καὶ γνωρίζει τῶν ὄντων).

Nam αἴσθησις est ea animi facultas, qua res singulae earumque qualitates cognoscuntur, [23] neque vero notiones generales, quae essentiam exprimunt, constituuntur. Intellectus autem rerum essentiam earumque intimam naturam atque summa principia argumentandi et demonstrandi cognoscit. [24]) Utrum intellectus etiam res singulas cognoscat necne, postea perscrutandum erit.

Ex tota autem cognoscendi ratione apparet, duplicem habitum intellectus esse statuendum, quorum unus ad alterum sicut materia ad formam se habet (nam quod in tota natura, id etiam in animo humano invenitur). Alter intellectus potentiam (δύναμιν) intellegendi significat, alter autem id principium, quod omnia intellegibilia reddit atque intellectum possibilem, ut hoc termino scholastico utar, ad actum et perfectionem ducit. [25])

b. De intellectu possibili.

§ 5.

E tota Aristotelis doctrina, quae ad cognoscendi rationem spectat, et e multis locis, quibus de hac ipsa quaestione agitur, apparet, intellectum non ab initio notiones et formas tamquam innatas continere. Aristoteles, quamquam hoc modo illorum sententiam refutat, qui dicunt, intellectui notiones sive ideas innatas esse, tamen ab iis philosophis, qui docent nihil, esse in intellectu, quod non antea fuerit in sensu, magno opere distat. Nam intellectus, quamquam ei notiones non perfectae innatae sunt, tamen eas potentia quidem continet et potentia intellegendi ei innata est. Eam intellectus vim, qua rerum formae, quae illi initio non nisi potentia insunt, recipiuntur, Aristoteles δύναμιν sive τὸ δυνατὸν

---

23) De an. 417 b 22: αἴτιον δ' ὅτι τῶν καθ' ἕκαστον ἡ καθ' ἐνέργειαν αἴσθησις, ἡ δ' ἐπιστήμη τῶν καθόλου. Anal. post. 81 b 6: τῶν γὰρ καθ' ἕκαστον ἡ αἴσθησις ibid. p. 100 a 17: καὶ γὰρ αἰσθάνεται μὲν τὸ καθ' ἕκαστον (scil. ἡ ψυχή).

24) Anal. post. II, 19; 100 a 12: νοῦς ἂν εἴη τῶν ἀρχῶν.

25) De an. 430 a 10: ἐπεὶ δ' ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ (τοῦτο δὲ ὃ πάντα δυνάμει ἐκεῖνα) ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον καὶ ποιητικὸν τῷ ποιεῖν πάντα, οἷον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην πέπονθεν, ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς· καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν.

appellat.[26]) Ex Aristotelis de intellectu doctrina sequitur, huius nominis significationem non esse eandem atque eam, quae principium materiale sive ὕλην exprimit. Intellectus enim, cui nihil materiae admixtum est, forma pura est, sine ulla re subiecta ab ipsa diversa deinde materia non nisi cum aliqua forma coniuncta existit et ab aeterno cum aliqua forma coniuncta est. Intellectus autem initio nullam habet formam sive qualitatem actu in ipso praesentem sed ita comparata est, ut omnia fieri h. e. omnium rerum formas recipere atque secum coniungere possit. Atque id significatur Aristotelis verbis intellectum esse sedem notionum h. e. eum initio non ipsas rerum formas actu in se complecti verum potentiam esse, qua eas, ubi primum aliquam rem cogitaverit, in se recipiat.[27])

Sicut tabulae, in qua nihil scriptum est, omnia inscribi possunt, ita etiam intellectui, cui actu nulla notio innata est, potentia intellegendi innata est.[28]) Ex his sequitur ut intellectus, qui rerum formas ab initio nonnisi δυνάμει complectitur, ipsas formas actu recipere sive ab eis aliqua ratione affici debeat; hoc ab Aristotele saepius πάσχειν vocatur[29]) (quod verbum qua significatione accipiendum esset, supra diximus). Apud eas res, quibus materia non admixta est, idem est intellectus atque id quod intellegitur; intellectus enim formas receptas sibi tamquam imprimit, quo idem fit atque id, quod imprimitur.[30])

---

26) De an. 429 a 21: ὥστε μηδ' αὐτοῦ εἶναι φύσιν μηδεμίαν ἀλλ' ἢ ταύτην, ὅτι δυνατόν. ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς (λέγω δὲ νοῦν, ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή) οὐδέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν· ibid. 429 b 31: . . . . ὅτι δυνάμει πώς ἐστιν τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν.

27) De an. 429 a 26: καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὔτε ὅλη, ἀλλ' ἡ νοητική, οὔτε ἐντελεχείᾳ ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη.

28). De an. 430 a 1: δεῖ δ' οὕτως ὥςπερ ἐν γραμματείῳ, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον· ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ.

29) De an. 429 a 13: εἰ δὴ ἐστι τὸ νοεῖν ὥςπερ τὸ αἰσθάνεσθαι ἢ πάσχειν τι ἂν εἴη ὑπὸ τοῦ νοητοῦ ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον. ibid. 429 b 29: ἢ τὸ μὲν πάσχειν κατὰ κοινόν τι διῄρηται πρότερον, ὅτι δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν, πρὶν ἂν νοῇ.

30) De an. III, 4; 430 a 3: ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον· ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ καὶ τὸ οὕτως ἐπιστητὸν τὸ αὐτό ἐστιν.

Eae autem res, quae ex materia et forma constant, non nisi δυνάμει sunt intellegibiles[31]) i. e. tum modo intellectus ipsarum essentiam concipit, cum formam a re, in qua cernitur, separavit.

Intellectus ad τὰ εἴδη, quae in sese expressit, duplici modo se habere potest aut ἐνεργεῖ πρὸς αὐτὰ i. e. actu ea intuetur et tum actu est intellegens; aut non ἐνεργεῖ i. e. non actu ea intuetur et tum respectu eorum in potentia est, verum ita in potentia, ut τὸ εἶδος ipsi iam informatum ex se ipse — sola voluntatis intentione — cogitare possit[32]).

Cum autem intellectus rerum notiones informet, necessario etiam res singulas, quae notionibus subiectae sunt, concipit. Primum enim rerum notiones ita tantum concipit, ut formas a rebus, in quibus cernuntur, separet. Deinde, quoniam res singulas videntes scimus, etiam notionem generalem, qua continentur, haec scientia pertinere non potest nisi ad intellectum, siquidem non est sensuum notiones generales concipere. Haec autem scientia non potest esse in intellectu, nisi ipsas etiam res singulas cognoscit. Cognoscit autem eo quod eorum φαντάσματα h. e. imagines a sensibus profectas et in phantasia reservatas concipit. Idem etiam ex loco illo difficillimo (de an. III, 4, 429 b 10) apparet. Hoc loco Aristoteles, postquam exposuit, aliud esse rem singularem (ex materia et forma constantem), aliud huius rei formam (τὸ ὕδωρ καὶ ὕδατι εἶναι aquam et aquae essentiam), sic fere pergit: sensibus, quibus tamquam instrumentis utitur, intellectus (νοῦς) — hoc enim subiectum, ut e constructione grammatica apparet, verbi κρίνει est — res singulas cognoscit, alia autem facultate, vel potius ipse aliter se habens, veluti linea incurvata se habet ad se ipsam, postquam rursus extensa est, rerum notiones concipit. Nam sicut linea recta, quae ex situ suo proprio in aliam incurvatur, ex se quasi egreditur et deinde incurvatione sublata ad se revertitur, ita intellectus postquam ex se quasi

31) ibid. 430 a 7: ὥστ᾽ ἐκείνοις μὲν οὐχ ὑπάρξει νοῦς (ἄνευ γὰρ ὕλης δύναμις τῶν τοιούτων) ἐκείνῳ δὲ τὸ νοητὸν ὑπάρξει.

32) De an. III, 4: 429 b 5: ὅταν δ᾽ οὕτως ἕκαστα γένηται ὡς ὁ ἐπιστήμων λέγεται ὁ κατ᾽ ἐνέργειαν·

egressus ἐν τοῖς φαντάσμασιν rerum imagines cognovit, rursus ad se reversus rerum notiones informat. [33])

Cum autem hac ratione res singulae ut res singulae, non ut purae formae, quae notione continentur, ab intellectu cognoscantur, huius cognitionis facultas in eodem intellectu ponenda est, qui rerum formas intellegibiles ex earum imaginibus in phantasia expressis concipit eoque νοῦς fit ἐνεργείᾳ. Jam vero haec intellectus vis, quae e rerum imaginibus eorum formas intellegibiles informat, ab Aristotele τὸ ποιητικὸν sive τὸ ποιοῦν) et ab eius interpretibus νοῦς ποιητικὸς (intellectus agens in philosophia scholastica) appellatur.

c. De intellectu agente.

§ 6.

Ut Aristoteles in tota rerum natura duo principia distinguit, quorum alterum est materia, quae nihil nisi potentiam alicuius rei significat, alterum forma sive id principium, quod materiam ad actum et perfectionem perducit, ita in animo etiam humano has differentias ponendas esse existimat. Id principium, quo intellectus possibilis actu fit cogitans, est, ut diximus, intellectus agens.

Intellectus agens non per se substantia est sed in una intellectus substantia, ut eius ἕξις, subsistit. Hanc intellectus facultatem non esse substantiam ab intellectu humano seiunctam vel, ut quidam voluerunt, substantiam divinam, quae si cogitemus, sensus nostros commoveat et res sensibiles reddat intellegibiles (ita ut intellectus possibilis eas cognoscere possit,) sequitur ex tota Aristotelis cognoscendi

---

33) De an. III, 4; 429 b 10: ἐπεὶ δ' ἄλλο ἐστὶ τὸ μέγεθος καὶ τὸ μεγέθει εἶναι καὶ ὕδωρ καὶ ὕδατι εἶναι· (οὕτω δὲ καὶ ἐφ' ἑτέρων πολλῶν, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ πάντων· ἐπ' ἐνίων γὰρ ταὐτόν ἐστι) τὸ σαρκὶ εἶναι καὶ σάρκα ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλως ἔχοντι κρίνει· ἡ γὰρ σὰρξ οὐκ ἄνευ τῆς ὕλης, ἀλλ' ὥσπερ τὸ σιμὸν τόδε ἐν τῷδε· τῷ μὲν οὖν αἰσθητικῷ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν κρίνει καὶ ὧν λόγος τις ἡ σάρξ· ἄλλῳ δὲ ἤτοι χωριστῷ ἢ ὡς ἡ κεκλασμένη ἔχει πρὸς αὑτὴν ὅταν ἐκταθῇ, τὸ σαρκὶ εἶναι κρίνει. Cfr. de hac tota quaestione quod disputaverunt: Neuhaeuser, Aristoteles Lehre von dem sinnlichen Erkenntnissvermögen und seinen Organen p. 14—19. Zeller l. l. II, 1; p. 566 n. 8. Brentano l. l. p. 131. Kampe l. l. p. 5.

ratione, praecique ex his verbis: de an. 430 a 13 ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ εἶναι ταύτας τὰς διαφορὰς (scil.: τοῦτο δὲ ὃ πάντα δυνάμει ἐκεῖνα καὶ τὸ αἴτιον καὶ ποιητικόν) — 430 a 15 καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς. Ex iis, quae priore loco attulimus apparet, intellectum agentem in animo humano inesse, ex altero eum non esse substantiam sed qualitatis habitum (ἕξιν) in actione versantis, qualitas autem et actio non per se constat sed in aliqua substantia subsistit.[34])

Intellectus agens, quem Aristoteles cum luce comparat, qua colores antea obscuri illustrantur atque hoc modo veri colores fiunt, imagines a sensibus perceptas et in phantasia asservatas lucis suae vi illustrat i. e. res singulas perscrutans ex eis veram essentiam concipit et hoc modo intellectum, qui antea non nisi potentiam cogitandi significabat, actu reddit cogitantem. In hac facultate sive qualitate vera intellectus essentia posita est, qua si careret, non actu sed semper δυνάμει tantum rerum formas in se haberet. Ergo intellectus agens id principium est, quo cogitamus.

Quamquam intellectus possibilis et intellectus agens in una eademque substantia subsistunt, tamen quod attinet ad τὸ εἶναι i. e. ad notionem, qua eorum essentia concipitur, non idem valent sed alter ab altero, ut diximus, distinguitur. Nam sicut materia et forma, quamquam in eadem re sunt, tamen, quod attinet ad τὸ εἶναι, maxime inter se differunt, ita ὁ νοῦς δυνάμει eum intellectus statum significat, in quo actu nihil cogitat sed omnia cogitare potest, ὁ νοῦς ποιητικὸς autem eam intellectus facultatem, qua ipse e potentia cogitandi transit in actum. Intellectus agens est ea facultas, qua intellectus ex se tamquam exiens res singulas ἐν τοῖς φαντάσμασιν conspicit et deinde ad se rediens i. e. rerum singularum imagines tamquam relinquens, earum naturam et essentiam cognoscit. — Postquam intellectus actu cogitans factus est et alicuius rei

---

34) Hac fere ratione Themistius (Paraphrases Aristotelis librorum, quae supersunt ed. L. Spengel. II p. 189, 14) refutat sententiam eorum, qui intellectum agentem deum esse opinabantur.

notionem sibi impressit, semet ipsum quoque cogitare potest, quia tum non modo δυνάμει sed ἐνεργείᾳ aliquid est, quod cognosci potest.

Etsi intellectus agens est id principium, cuius vi essentia cognoscitur, tamen hanc cognitionem non quasi ex se ipse sumit sed oportet ei materiam offerri, e qua notiones definitionesque efficiat.

Haec materia a sensibus allata intellectui in phantasiae imaginibus praebetur. Cum hoc modo inter phantasiam et intellectum relatio quaedam intercedat, interdum phantasiae actiones ad intellectus facultatem referuntur et eodem verbo (νοεῖν sive φρονεῖν) appellantur. Uno loco Aristoteles mea quidem sententia phantasiam intellectum (scil. patientem, νοῦν παθητικόν) appellat, ad cuius notionem exeutiendam nunc adeamus.

d. De intellectu patiente.

§ 7.

Aristoteles, postquam de an. III. 5 p 430 a 24 de notione intellectus immortalis et separabilis disseruit, pergit: οὐ μνημονεύομεν δέ, ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθές, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτὸς καὶ ἄνευ τούτου οὐδὲν νοεῖ. Hic locus, qui a tota Aristotelis doctrina, quam de intellectu constituit, dissentire videtur, philosophorum mentes multum exercuit effecitque, ut interpretationes maxime diversae proferrentur. Inter has diversas interpretationes ea maxime probari posse videtur, quae intellectum patientem phantasiam esse contendit. Primum enim intellectus patiens non in una eademque intellectus substantia subsistit neque idem valet atque νοῦς δυνάμει. Nam si idem valeret, eandem substantiam oporteret, simul et immortalem esse et corruptibilem. Intellectus enim possibilis, qui eiusdem intellectus substantiae significat eam naturam, qua is omnia cogitare potest, non potest perire, nam si periret aut ipsa etiam intellectus essentia tolleretur aut intellectus humanus idem fieret atque intellectus absolutus sive deus, qui nihil δυνάμεως in se habet. Utrumque ab Aristotelis sententia discrepat. Nam potentia cognoscendi in intellectu, etiam postquam aliquid cognitum est, remanet, etiamsi intellectus tum

est alia ratione possibilis, quam antequam aliquid cogitavit. Quare etsi, quod intellectus possibilis rerum formas in se recipit, πάσχειν dicitur, tamen hoc non idem valet atque illa facultas, quae intellectui patienti convenit; id quod postea, si notionem intellectus patientis explicaverimus apparebit. Sed quid tandem est intellectus patiens? Locus ille, quem supra attulimus, si eum cum nonnullis aliis locis ad eandem rem pertinentibus comparaverimus, nos ad veram huius notionis significationem perducit.

Aristoteles illo loco dicit: Non reminiscimur, quia hoc quidem (i. e. τὸ ποιητικὸν, νοῦς ποιητικὸς) impatiens est (i. e. corrumpi non potest) intellectus patiens autem corrumpi potest. Hoc loco Aristoteles eam ob causam reminisci negat, quod intellectus patiens corrumpi possit, ex quo satis apparet intellectum patientem esse principium memoriae: quare, cum antecederet „οὐ μνημονεύομεν" non opus erat intellectus patientis notionem accuratius explicare diligentiusque ab intellectus agentis et possibilis notione distinguere. Sed nunc inquirendum est, quid sit memoria eiusque ad ceteras animae facultates relatio. Memoria est ea animae facultas, qua rerum imagines sensibiles in anima retinentur et servantur, etiamsi res ipsae e sensibus evanuerunt [35]. Nam imago alicuius rei ab anima actu αἰσθήσεως recepta animam ita movet, ut ei haec imago tamquam imprimatur. Haec imago animae impressa φάντασμα vocatur et facultas ipsa, qua φαντάσματα in nobis habemus, φαντασία sive imaginatio. Imaginatio, inquit Aristoteles, est motio ex actu αἰσθήσεως in anima orta [36] h. e. imaginatio est ea animae facultas, qua imagines sensibus perceptae in anima permanent. Hae imagines nunquam in phantasia esse possunt, nisi antea fuerunt in sensu. Phantasia, cum sit ea facultas, qua φαντάσματα in nobis habemus, est condicio memoriae, qua de causa earum tantum rerum meminimus, quarum imagines animam ita moverunt, ut phantasmata remanerent.

35) Kampe l. l. p. 128. Bonitz l. l. ad Met. 980 a 28. II. p. 38. Arist. de memoria 1; 451 a 15.

36) De an. 429 a 1: ἡ φαντασία ἂν εἴη κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ' ἐνέργειαν γιγνομένη.

Phantasia, sicut memoria, quae ex illa profluit, non est facultas intellectus proprie ita accepti sed sensus communis, qui dicitur. At unde fit, ut haec animae pars intellectus (νοῦς) appelletur? Ab Aristotele verbum νοεῖν duplici ratione ad. hiberi satis constat. Primum quidem et sane maxime ea animi actio ab Aristotele νοεῖν vocatur, qua notiones constituuntur atque rerum essentia ex ultimis causis cognoscitur, deinde inferioris quoque animae actio, qua rerum imagines sensibiles quasi conspiciuntur et comprehenduntur. Hoc praeter eum locum, quem attulimus, quo Aristoteles principium memoriae intellectum appellat, probat alius locus: de an. III, 3; 427 b 27: περὶ δὲ τοῦ νοεῖν ἐπεὶ ἕτερον τοῦ αἰσθάνεσθαι, τούτου δὲ τὸ μὲν φαντασία δοκεῖ εἶναι, τὸ δὲ ὑπόληψις i. e. τὸ νοεῖν, cum alienum sit a sentiendo, partim imaginatio, partim iudicium esse videtur. Tertius locus ad probandam nostram sententiam afferri potest. Aristoteles quaerit (de anima III, 9; 432 a 15), quid sit τὸ κινητικὸν, quod certe non in una earum facultatum, quae animae tribuuntur, positum sit. Tum ostendit hanc facultatem ex duabus animae partibus quasi ex suis principiis profluere: ex appetitu et intellectu. Sed hoc loco Aristoteles νοῦν non eam animae facultatem aut certe non eam solam intellegit, qua essentia cognoscitur, quia tum animalibus intellectus expertibus motio non assignari posset, id quod omni experientiae repugnat; sed ipse aperte hac notione etiam phantasiam concipi hisce dicit verbis: de an. III, 10; 433 a 9: φαίνεται δέ γε δύο ταῦτα κινοῦντα, ἢ ὄρεξις ἢ νοῦς, εἴ τις τὴν φαντασίαν τιθείη ὡς νόησίν τινα· πολλὰ γὰρ παρὰ τὴν ἐπιστήμην ἀκολουθοῦσιν ταῖς φαντασίαις καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις οὐ νόησις οὐδὲ λογισμός ἐστιν ἀλλὰ φαντασία. Non multo autem post rursus utramque facultatem una intellectus notione concipit: ἄμφω ἄρα ταῦτα κινητικὰ κατὰ τόπον, νοῦς καὶ ὄρεξις. Phantasiam et intellectum una intellectus notione hic comprehendi, apparet ex his verbis: de an. III, 10, 433 b 12 τοῦτο γὰρ κινεῖ οὐ κινούμενον τῷ νοηθῆναι ἢ φαντασθῆναι. Imaginationem et ad sensum et ad intellectum ab Aristotele interdum referri, denique hic locus probat: de an. III, 10; 433 b 29: φαντασία δὲ πᾶσα ἢ λογιστικὴ ἢ αἰσθητική. Ex his quae diximus satis apparere videtur, uno τοῦ νοῦ nomine Aristotelem et imaginandi et cogi-

tandi principium comprehendisse. Neque haec vocabuli significatio ab Aristotele adhibita ab usu dicendi abhorret, ut ex iis exemplis apparet, quae Aristoteles e veterum scriptis affert, qui sensus et intellectus actionem confundentes utramque uno verbo (νοεῖν sive φρονεῖν) expresserunt.[37])

E duplici relatione, quae inter phantasiam et sensum, et phantasiam et intellectum intercedit, sequitur, qua sententiae phantasia παθητικὸς (scil. νοῦς) appelletur. Nam cum ad sensum referatur, ab eo imagines sensibiles recipit (πάσχει) et cum ad intellectum spectet, qui in ea rerum imagines tamquam ita permutat, ut essentia eveniat, ab hoc quoque aliqua ratione affici sive aliquid pati videtur.

His disputatis ad finem eius quaestionis, quam Aristoteles de intellectu instituit, pervenimus. Sed antequam ad novam quaestionem transeamus totam de intellectu doctrinam paucis repetamus.

Intellectus, qui initio nihil nisi δύναμις est, intellectus agentis vi, qui est ἕξις in ipsa intellectus substantia, ad actum et perfectionem ducitur, ita ut rerum notiones vere in se recipiat. Sed cum notiones intellectui non innatae sint neque eius vi sola informari possint, opus est ei materiam offerri, ex qua notiones excutere possit. Hoc fit ab intellectu patiente sive phantasia. In phantasiae imaginibus, in quibus non pura rerum essentia cernitur sed variis formis accidentalibus immixta, intellectus agens sua propria vi notiones cognoscit et hoc modo intellectum possibilem reddit vere cogitantem.

His peractis eas sententias paucis respiciamus, quas Aristotelis interpretes maxime quidem eius discipuli statuerunt. Nam quamquam non semper veram Aristotelis doctrinam exhibent sed suas sententias illi interdum admiscent, afferunt tamen quaedam, quae ad illustrandam difficillimam hanc quaestionem servire possint. Quodsi unus alterve eorum a nostra opinione dissentit, inde non sequitur, ut nostra opinio falsa sit, sed probatur solum, quod antea iam diximus, Aristotelis de intellectu doctrinam iam antiquis temporibus disceptationis materiam praebuisse. Haud parvi momenti erit si

---

37) De an. III. 3; 427 a 21.

Theophrastus, qui in Aristotelis discipulis primum tenet locum, a nostra sententia non dissentit. Quare primum Theophrasti de intellectu doctrinam indagare conemur.

3. De commentariis ad Aristotelis de intellectu doctrinam pertinentibus.

§ 8.

E Themistii commentario [38]) patet, Theophrastum de nostra quaestione copiose et subtiliter disputavisse. Etsi magno opere dolendum est, quod duo tantum eius fragmenta de hac doctrina ad nos pervenerunt, tamen haec fragmenta ad intellegendam Aristotelis doctrinam gravissima sunt. In priore fragmento Aristotelis de intellectu possibili in altero de intellectu agente doctrina pertractatur. Ex iis, quae a Themistio afferuntur, Theophrasti sententia haec fere fuisse videtur: Intellectus humanus, quamquam extrinsecus animae accedit, tamen inde a generationis initio cum anima coniunctus est neque ei postea tamquam apponitur, id quod sequitur ex hac Theophrasti quaestione v. 15 ὁ δὲ νοῦς πῶς ποτε ἔξωθεν ὢν καὶ ὥσπερ ἐπίθετος ὅμως συμφυής; ad quam quaestionem respondetur v. 22; ἀλλὰ τὸ ἔξωθεν ἄρα οὐχ ὡς ἐπίθετον ἀλλ᾽ ὡς ἐν τῇ πρώτῃ γενέσει συμπεριλαμβάνον [39]) θετέον.

Sed natura intellectus haec est, ut initio quidem nihil actu sit, verum omnia potentia; hoc autem non ita intellegendum est, ut intellectus ipse non sit, sed ita, ut sit vis quaedam subiecta simili modo, ut in rebus corporeis aliquid subiectum esse statuimus. Verba Theophrasti haec sunt v. 17: καὶ τίς ἡ φύσις αὐτοῦ; τὸ μὲν γὰρ μηδὲν εἶναι κατ᾽ ἐνέργειαν, δυνάμει δὲ πάντα καλῶς, ὥσπερ καὶ ἡ αἴσθησις. οὐ γὰρ οὕτως ληπτέον ὡς οὐδὲ αὐτός· ἐριστικὸν γάρ· ἀλλ᾽ ὡς ὑποκείμενόν τινα δύναμιν καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ὑλικῶν. In iis, quae sequuntur, hic νοῦς, quem, ut

38) Themist. l. l. II, 199, 7.

39) Torstrikius l. l. p. 187. συμπεριλαμβανόμενον legit, quod rectum mihi esse videtur, quia obiectum grammaticum deest, quod ad participium συμπεριλαμβάνον referatur, pariterque subiectum. Hoc commendatur etiam Aristotelis loco (gen. an. II, 3), qui a Theophrasto respicitur; hic enim legitur: τὸ θεῖον ἐμπεριλαμβάνεται.

ad actum et perfectionem perveniat, res intellegibiles in se recipere (πάσχειν) oportet, incorporeus (ἀσώματος) dicitur; unde sequitur, ut Theophrastus intellectum possibilem ab intellectu patiente distinxerit: v. 25: πῶς δέ ποτε γίνεται τὰ νοητὰ καὶ τί τὸ πάσχειν αὐτόν; δεῖ γάρ, εἴπερ εἰς ἐνέργειαν ἥξει, καθάπερ ἡ αἴσθησις· ἀσωμάτῳ δὲ ὑπὸ σώματος τί τὸ πάθος ἢ ποία μεταβολή;

Deinde Theophrastus inquirit, utrum principium patiendi sive recipiendi in rebus sensilibus an in ipso intellectu positum sit: quae quidem quaestio non certe diiudicatur. Quoniam, ait, nulla res quidquam a semet ipsa patitur principium in rebus sensilibus, quoniam intellectus potest et cogitare et non cogitare, in ipso positum esse videtur; verum hoc facile videatur fieri non posse, si reputamus intellectum materiae instar actu nihil esse sed omnia posse fieri. v. 29: τὸ μὲν γὰρ πάσχειν ἀπ' ἐκείνου δόξειεν ἄν· οὐδὲ γὰρ ἀφ' ἑαυτοῦ τῶν ἐν πάθει, τὸ δὲ ἀρχὴν πάντων εἶναι καὶ ἐπ' αὐτῷ τὸ νοεῖν καὶ μή, ὥσπερ ταῖς αἰσθήσεσιν, ἀπ' αὐτοῦ. τάχα δ' ἂν φανείη καὶ τοῦτο ἄτοπον, εἰ ὁ νοῦς ὕλης ἔχει φύσιν μηδὲν ὢν ἅπαντα δὲ δυνατός (si quidem non nisi materiae naturam habet, per se ad informandas notiones nihil potest conferre). Hic est finis prioris fragmenti. In iis, quae sequuntur, Themistius commemorat, Theophrastum permultum de hac re disputavisse atque maxime quaesivisse, quomodo intellectus extrinsecus animae ingigni posset; deinde docuisse intellectum possibilem esse impatientem et separabilem sicut intellectum agentem et eum intellectum, qui a corpore non seiungi posset sed cum illo corrumperetur, esse intellectum patientem (νοῦν παθητικόν). [40])

Alterum fragmentum dupliciter nobis servatum est (Themist. p. 189 8, et p. 200, 1) cuius priorem veram alteram mutilatam atque corruptam esse Torstrikius censet (l. l. p. 189); Brentano (l. l. p. 216 n. 323) contra posteriorem fragmenti formam priori praefert, cui assentio.

In hoc fragmento (p. 200, 1) Theophrastus, qui quaestionem suam ad verba Aristotelis de an. III, 5; 430 a 10 et 17 adiungit, interrogat quae sint illae duae intellectus naturae

---

40) Themist. l. l. 199, 7—22.

et quid sit intellectus agentis subiectum aut quid sit cum eo coniunctum; intellectum enim tamquam commixtum esse ex intellectu agente et possibili l. l. 200: τίνες οὖν αὗται αἱ δύο φύσεις καὶ τί πάλιν τὸ ὑποκείμενον ἢ συνηρτημένον τῷ ποιητικῷ; μικτὸν γάρ πως ὁ νοῦς ἔκ τε τοῦ ποιητικοῦ καὶ τοῦ δυνάμει. Qua ratione hoc „μικτὸν“ intellegendum sit, a Theophrasto non docetur; duplici autem ratione concipi potest; aut ita, ut intellectus possibilis intellectus agentis sit subiectum (ὑποκείμενον), in quo subsistat, atque ita coniuncti unam efficiant substantiam, aut ita, ut intellectus agens sit substantia ab intellectu possibili diversa (veluti si putatur intellectus divinus esse) et tantum cum illo sicut una substantia cum altera, quodam modo coniunctus (συνηρτημένον).

Sed cum Theophrastus eo loco, de quo antea tractavimus, intellectum possibilem aperte explicet id, quod agenti intellectui subiectum sit, quemadmodum in rebus corporeis materia formae, existimandum est, eum hoc quoque loco eandem servavisse sententiam et συνηρτημένον nihil esse nisi quandam explicationem ad ὑποκείμενον adpositam.

Atque Themistius, cui totus Theophrasti commentarius in manibus erat, sententiam nostram probat; Theophrasti enim verba interpretans dicit, ut quaelibet substantia e materia et forma constet, ita intellectum ex intellectu possibili et agente constare et ob eam rem quodam modo duos, quodam modo unum esse intellectum. v. 15. ἄλλον δὲ τὸν ὥσπερ συγκείμενον ἐκ τοῦ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ, ὃν καὶ χωριστὸν εἶναι τοῦ σώματος τιθέασι καὶ ἀγέννητον καὶ πῶς μὲν δύο φύσεις τούτους τοὺς νοῦς, πῶς δὲ μίαν· ἓν γὰρ τὸ ἐξ ὕλης καὶ εἴδους.

Eudemi sententia a nostra magno opere diversa esse videtur. Hic enim (Eth. Eud. VII; 1248 a 24) docet principium motionis, ut in tota rerum natura, ita etiam in animo humano esse deum; unde conicias deum dici principium cogitandi (νοῦν ποιητικόν). Verba eius sunt haec: τὸ δὲ ζητούμενον τοῦτ' ἐστί, τίς ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ ἐν τῇ ψυχῇ· δῆλον δή, ὥςπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεὸς κἂν (l. καὶ ἐν) ἐκείνῃ.[41]

---

41) Sic Spengelius (Abhandlungen der philosophisch-philolog. Classe d. k. Acad. d. Wissenschaften zu München III, 549 n. 2) verba

Sed quamquam haec verba primo certe adspectu a sententia a nobis proposita omnino discrepare videntur, tamen accuratius inspecta facile ita possunt explicari, ut plane cum ea constentiant. Ait enim Eudemus, in animo deum ita omnis actionis principium esse, ut sit principium motus in universo, id est, in animo deum esse principium actionis tamquam summum eius finem. Id quod optime apparebit explicato loco 1249 b 9, ubi Eudemus ait: ἐπεὶ δὲ καὶ ἄνθρωπος φύσει συνέστηκεν ἐξ ἄρχοντος καὶ ἀρχομένου καὶ ἕκαστον δὲ δέοι πρὸς τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν ζῆν· αὕτη δὲ διττή· ἄλλως γὰρ ἡ ἰατρικὴ ἀρχὴ καὶ ἄλλως ἡ ὑγίεια, ταύτης δὲ ἕνεκα ἐκείνη· οὕτω δ' ἔχει κατὰ τὸ θεωρητικόν. οὐ γὰρ ἐπιτακτικῶς ἄρχων ὁ θεός, ἀλλ' οὗ ἕνεκα ἡ φρόνησις ἐπιτάττει.

Ergo animus appetit deum ut summum finem et, quamquam deus causa finalis est, tamen appetitus ipse in animo positus est et ita ea actio, qua animus deum appetit, merito intellectui assignatur; principium actionis autem in animo intellectus agens est.

Inter eos Aristotelis interpretes, qui postea fuerunt, Alexander Aphrodisiensis plurimum auctoritate sua valuit; hic docet, intellectum agentem esse substantiam ab intellectu humano separatam, primam causam omnium rerum sive intellectum divinum, de qua sententia, quam omnino falsam putamus, nunc non in animo est pluribus agere.

Ex iis interpretibus, qui sequuntur, hoc loco unum Themistium afferamus, cuius sententia ad nostram proxime accedit. In una eademque intellectus substantia duae sunt facultates sive ἕξεις, una, qua intellectus omnia fit sive recipit (νοῦς δυνάμει), altera quae omnia intellegibilia reddit (νοῦς ἐνεργείᾳ sive ποιητικός). Ab initio quidem tantum potentia (δυνάμει) intellectus res cogitat, postquam autem intellectus agentis opera aliquam rem in se recepit, actu (ἐνεργείᾳ) est cogitans. Neque vero intellectus res cogitatas ex se ipso procreat sed has extrinsecus ei oportet adferri id quod fit per sensus et maxime per phantasiam, cuius ex imaginibus intellectus agens notiones excutit.

καὶ πὰν ἐκείνῳ corrigenda putavit; Fritzschius (Aristotelis Ethica Eudemia p. 254 n. 26) coniecit καὶ ἐν ἐκείνῳ.

Intellectum patientem, quem saepius ab intellectu possibili distinguit, in animae inferioris affectionibus (e. g. gaudio, tristitia, spe etc.) ponit, cum iis in animo humano semper aliquid intellegibile admixtum sit. Sed etiam phantasiam ab Aristotele νοῦν vocari commemorat eique eundem locum tribuit, quem ille intellectui patienti.[42])

Philosophos medii aevi, qui partim Alexandri (e. g. Arabes), partim Theophrasti et Themistii sententiam secuti sunt,[43]) praetermitto, ut paucis videamus, quid nostra aetate philosophi de Aristotelis doctrina senserint.

Trendelenburg, qui in commentario ad Aristotelis libros de anima nostram quaestionem pertractat, docet, intellectum agentem in humanam naturam cadere; intellectum patientem, quem cum intellectu possibili confundit, explicat esse „omnes illas, quae praecedunt, facultates in unum quasi nodum collectas, quatenus ad res cogitandas postulantur.“[44])

Brandis in eo a Trendelenburgio dissentit, quod existimat, intellectum, quatenus ad phantasiam et sensus spectet ex eisque res cogitandas recipiat, esse patientem et mortalem.[45])

Kampe intellectum agentem sicut Trendelenburg ab humana natura non seiungit; intellectum patientem esse intellectum vere cogitantem existimat, sicut in inferioribus animi partibus versetur (discursives Denken).[46])

Brentano Theophrasti et Themistii sententiam secutus intellectum patientem, quam phantasiam appellat, ab intellectu possibili secernit; intellectum agentem, qui est principium cogitandi, in una intellectus humani substantia ponit.[47])

Zeller qui omnes locos ad Aristotelis doctrinam pertinentes perscrutatur neque ea omittit, quae ipsius sententiae adversantur, nostram quaestionem hac fere ratione solvit: intellectus agens, qui summa cognoscendi principia percipit, non unicuique homini proprius est, sed omnes homines unius

42) Themist. l. l. p. 172–207.
43) Brentano l. l. p. 8 sqq.
44) Trendelenburg l. l. p. 491 sqq.
45) Brandis, Entwicklung d. griech, Philos. p. 518.
46) Kampe l. l. p. 1–60; p. 280–311.
47) Brentano l. l. p. 113 sqq. p 163 sqq.

eiusdemque intellectus participes sunt, quo efficiente illa summa principia cogitant. Intellectum patientem appellat: „das Ganze der Vorstellungskräfte, welche über die sinnliche Wahrnehmung hinausgehen, ohne doch schon die höchste Stufe des vollendeten in seinem Gegenstande schlechthin zur Ruhe gekommenen Denkens zu erreichen, die dem Mannigfaltigen und Sinnlichen zugewendete, an der Erfahrung sich entwickelnde Seite der Denkthätigkeit, die Vernunft, wiefern sie sich noch auf der Stufe der Reflexion, des discursiven Denkens bewegt.“ [48])

Alexandri Aphrodisiensis doctrinam, quamquam interdum ab ea dissentiunt, sequuntur Ritter et Preller, [49]) Schwegler, [50]) Chaignet. [51])

---

48) Zeller l. l. II, 2 p. 566—580 ed. III.
49) Historia philosophiae Graeco-Romanae ed. IV. p. 307.
50) Geschichte der griechischen Philosophie p. 195 sqq.
51) Essai sur la psychologie d'Aristote p. 469—528.

Vita.

Bernardus Weber natus sum in vico Moerlen a. d. III. Id. April. a. 1861 patre Guilelmo, matre Christina e gente Blaeser. Matrem carissimam morte mihi ereptam esse vehementer doleo. Fidem profiteor catholicam. Privatim litterarum primordiis imbutus a. 1876 gymnasium Montaborinum adii. Vere 1881 testimonium maturitatis adeptus ad Universitatem litterarum Rhenanam me contuli, cuius etiam nunc sum civis. Atque per sex semestria studia theologica et philologica tractavi, deinde ordini philosophorum adscriptus philosophiae et philologiae operam navavi. Docuerunt me V. V. Cll. Andresen, Buecheler, Dove, de Hertling, Kaulen, Kellner, Klein, Luebbert, Martius, Meyer, Neuhaeuser, Nissen, Simar, Usener, Wilmanns. Ut exercitationibus philosophicis interessem, benigne concesserunt Meyer et Neuhaeuser, philologicis Buecheler, Luebbert, Usener. His viris omnibus, praecipue Meyero et Neuhaeusero, qui studia mea singulari benevolentia adiuverunt, gratiam quam maximam habeo et semper habebo. Neuhaeuseri potissimum diciplinae et liberalitati quantum debeam, verbis enarrare non possum.

Sententiae controversae.

1. Libri Organi non eo ordine ab Aristotele compositi sunt, quo in libris extant.

2. Waitzii sententia, qui librum „Sophisticorum elenchorum“ IX. librum „Topicorum“ esse contendit, repudianda est.

3. De anima III, 5; 430 a 22 particula οὐχ (adversus Torstrikium) retinenda est.

4. De anima III, 5; 430 a 17 sqq. non ad intellectum agentem sed ad totum intellectum pertinet.

5. Subiectum, quod ad verbum κρίνει (de anima III, 4: 429 b 13) supplendum est, non nisi νοῦς esse potest.

6. Cartesianum illud „cogito ergo sum“ non est ἐνθύμημα.

7. Intellectui humano notiones sive ideae non innatae sunt nisi potentia.

[redacted]

[redacted]